1331

Sit omnibus notum quod Ego Bernardus oliuerii clericus obtinens beneficium presbiteratus quod Ferrarius nepotis quondam stabiliuit in ecclesia hostalricii / gratis et ex certa sciencia per me et successores meos in dicto beneficio de uoluntate et concessu Ferrarii nepotis et Raymundi rossellii clerici ipsius ecclesie ad quos pertinet ius patronatus dicti beneficii dono et concedo uobis petro grati uille sancti celedonii licenciam et plenum posse quod uos et uestri perpetuo possitis facere et semper tenere / regum et subregum ac mutare et remutare quocumque et quotienscumque uolueritis et ducere aquam ad molendinum quod facere intenditis in riaria de uall gorguyna absque impedimento et contradiccione mei et successorum meorum / per omnes et singulas possessiones que sunt in colle de moriguers / et tenentur per quascumque personas pro dicto meo beneficio et etiam possitis uos et uestri semper transire per dictos honores et possessiones ad esturandum et aptandum ipsum regum / et subregum / prout et quando uobis et uestris placuerit. Ita tamen quod uos et uestri conueniatis et conuenire habeatis cum tenentibus dictarum possessionum de dampno eis illato uel inferendo racione dicti regui et mutacionis ac remutacionis dicti regui. Propter quas autem confiteor a uobis habuisse et recepisse / decem solidos barchinonenses de terno. Renunciando excepcioni peccunie non numerate seu et non recepte et doli. et si amplius quam ... habere deberem / totum illud plus uobis et uestris dono et penitus remitto. Et sic promitto uobis per me et successores meos predicta omnia semper rata et firma habere / tenere et obseruare et numquam reuocare uel in aliquo contrauenire sub aliqua sui causa. Renuncians penitus quantum ad hec omni iuri / racioni / excepcioni et consuetudini contra hec in aliquo repugnantibus. Et ego dictus Ferrarius nepotis / et Ego Raymundus rossellii clericus / consencientes supradictis / firmamus hec et laudamus / et promittimus contra predicta non uenire aliqua racione. Actum est hoc .vi. nonas julii. Anno domini. Mº. CCC. Tricesimo primo. Sig+num. Bernardi. oliuerii. clerici. Sig+num Ferrarii nepotis. Sig+num Raymundi rossellii clerici predictorum qui hec firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt Raymundus sauerini Arnaldus paschalis et Bonanatus Ferrarii de riuo arearum.

Sig+num Petri picaronis / gerentis uices petri de sancto antonio / notarii publici hostalricii in uicecomitatu caprarie / qui hec scribi fecit et clausit.

Hostalrich
1331

NF